

AUREUS RAMUS,

SEU DE  
STUDIO SAPIENTIÆ IN GENTIBUS  
DISSERTATIO,

*Quam*

FAVENTE SUPREMO NUMINE,

Et adprobante Ampl. Facult. Philos.  
in Regia ad Auram Acad.

Sub PRÆSIDIO,

*Viri Clarissimi*

DN. M. CHRISTIERNI  
ALANDRI,

Eloqv. Prof. Ord. celeberrimi, Præceptoris  
& studiorum meorum Auctoris nunquam  
non grato animo celebrandi,

*Bonorum censure modeste sistit*

CONRADUS QUENSELL,

In Auditorio Maximo,

*horis, ante meridiem diei ult. Octob.*

*Anni M. DC. XCIV.*

---

Exc. apud Jo. WALLIUM.

*Nobilissimo atque Consultissimo  
Domino,*

**Dn. SIMONI**

**R R R R R /**

**In Parlamento Regio  
Magni Ducatus Finlandiæ Optioni  
Præfidis gravissimo & æqvissimo,  
Promotori Magno, submissa  
observantia ætatem co-  
lendo,**

**PERENNEM FELICITATEM !!!**



Quod, Nobilissime ac Consultissime Domine, exiles has pagellas Illustri tuo Nomini inscribere ausus sum, est eximius ille favor in causa, quo omnes Tuæ Clientelæ audacter se committentes excipere soles cujusque memet participem fieri ut cliens humillimus exopto. Primum autem est hoc quod obnixè precibus à Te Nobilissime Domine contendo, ut audaciæ si quæ est des veniam: deinde adeo, dissertatiunculam hanc, Nobilissimo Tuo Nomine præfixam & præmunitam, ab improbis & malevolis liberam asserere digneris. Quæ gratia si, ut nullus dubito, à Te Consultissime Domine mihi obtigerit; est cur mihi quidem gratuler patrocinium, Tibi vero dignum excelsa mente animum. De cætero Vivas Nobilissime Domine incolumis per serum annorum decursum, qui

qui sis Regi nostro Clementissimo, Pa-  
trique ingenti commoda, Tibi Nobilissi-  
maque tue familiae nomini. Hoc sequetur  
ut omnes Tui Clientes Te ut Magno ita  
certissimo Promotore quam diutissime u-  
tantur & gaudeant! Sic voves ex a-  
nimo

Nobilissime ac Consultissime  
Domine

Tuus

*humillimus cliens*

CON. QUENSELL.  
Resp.

*Amplissimo & Consultissimo,*

**Dn. WILHELMO  
JOHANNI QUENSELL,**

In supremo Judicio Regio magni  
Ducatus Finlandiæ Assessoris æquissi-  
mo, Parenti meo propensissimo, ex  
intimo cordis amando, & pia obse-  
quentia ad supremum usq; vi-  
tæ diem protequendo.

**N**ter alia sapientissime dicta illud Eu-  
ripidis vehementer me delectat, ubi ait:  
Ὅτις δὲ τὰς τιμῶνται ἐν βίῳ σεβεί,  
ὄδ' ἐστὶν ἔτι τῶν κατὰ τὸν θεὸν φίλων.

Quisquis in vita sua parentes colit, hic  
vividus & mortuus Diis charus est. Sem-  
per in animo ducens, hoc ipsum nunquam  
intermittendum esse ab illo præsertim qui ad  
eam prodectus est ætatem, ut quid erga Pa-  
rentes suum sit officium agnoscere sciat. Atq;  
hujus ergo nihil magis me indignum putavi,  
quam

quam si ulla in occasione debiti mei officii  
partibus deessem; quod sane facerem nisi hoc  
qualecunque ingenii mei primum specimen Tibi  
dilecte Pater quoque dicarem, cui immensa  
debetur gratia propterea quod studio bona-  
rum artium huc usque operam dare mihi  
concessum est. Hanc vero facilitatem tuam  
benignam mi Parens Indulgentissime, cum vel  
verbis vel officiis Tibi ex asse pensare nun-  
quam valeam: capias quæso hanc opellam  
grati atque obsequentissimi animi tesseram, à  
filio tui amantissimo muneris vice, non quod  
datur sed redditur, cum tuum sit quodcunque  
moliar, & siquidem aliud nondum est mihi, quo  
cum gratitudinem & pietatem meam de-  
testatam. Vivas proporro Charissime Pater  
diutissime toti nostræ domui insigni commodo  
& solatio unico, in proprium inde honorem  
& decus eximium! Quod ex animo optat

Consultissimi Domini Assessoris  
Patris mei Charissimi

ad fata, obsequentissi-  
mus filius

CON. QUENSELL.



## CAP. I.

*De sapientibus quarundam gentium, & sacerdotibus. Quales Brachmanes seu Gymnosophistæ, Sacerdotes Hieroglyphicorum in Ægypto atque Hierophantæ in Arabia.*

**T**rojanum Æneam cupientem cognoscere novissima mundi regna, ut ait Ovid. *Metam. lib. 14. Fab. 3.* iussit dux itineris Sibylla Cumnæa suo trunco divellere AUREUM RAMUM, quem in sylvis juxta fœtidissima Averna crescentem monstravit, simulque adjecit eum hoc pacto sui voti compotem futurum. Per hunc AUREUM RAMUM interpretati sunt doctorum plerique Poëtam intellexisse sapientiam atque veritatem præsertim, ut videtur, consequentibus verbis ducti. Etenim hic Heros mox dicitur

A citur

citur ejus divulsionis ope, quæ ad fœ-  
 tidissimam illam paludē effecta est, opes  
 infernales sive maximè diffusa mundi re-  
 gna adivisse, & locorum jura cum bellicæ  
 artis notitia didicisse. Quæ utriqve sa-  
 pientiæ & veritati haud absurde com-  
 petunt, utpote quarum præcipua affe-  
 ctio esse solet, quod sint fere semper in-  
 vidiaæ atqve laboris fœtori obnoxiaæ:  
 tum quod harum ministerio tantum non  
 impossibilia perfici queant. De hoc AU-  
 REO RAMO ut omnes, quibus vitam a-  
 gere ritu pecorum non placet, sollicitos  
 quam maxime esse decet, ita in-  
 venti sunt, in ipsis quoque gentibus e-  
 ius sectatores minimè segnes; tametsi  
 horribiles tenebræ semper fuerint pe-  
 nes eas in earum rerum cognitione, quæ  
 veri DEI cultum sapiunt. Namque ma-  
 xima cum admiratione notare licet per  
 plurimorum Ethnicorum felicissima in-  
 genia, quibus insigne decus debetur non  
 tantum ob eam sapientiam quæ propriè  
 est objectū cognitionis humani ingenii  
 se



sed & earū rerū notitiā quæ neutiquā sine  
 revelatione divinā intelligi potuerunt  
 aut possunt, ipsi autem per traditio-  
 nem licet mancam acceperunt. Egre-  
 gie autē præter cæteros innotuerunt sem-  
 per ex indolis speciminibus exquisitis  
 apud varias gentes earum sacerdotes  
 & Theologi, qui soli primis temporibus  
 sunt dicti sapientes, quos & ubique ma-  
 gno honore venerari voluerunt. Hos  
 inter fuerunt Brachmanes sive Gymno-  
 sophistæ Indorum, quorum dignita-  
 tem vel ex habitu externo aestimare li-  
 cet, quem tam pretiosum gesserunt ut  
 insignibus Regalibus vix cederet. Ge-  
 stabant enim talares tunicas confectas ex  
 pretioso illo lapide Amianto, quem tam  
 artificiosè tractare noverunt, ut inde in-  
 star lini vellanæ vestes contexi puerint:  
 huius autem lapidis ingens pretium hinc  
 præcipuè arguitur, quod vestes hæ lapi-  
 deæ non potuerunt lavari aqua, sed ab at-  
 tractis assiduo usu fordibus purgatæ sunt  
 ignis ope; vestis enim ardenti flammæ  
 iniecta est, atque sic adeo pristinæ pu-

ritati & nitori restituta est. Ad hæc, inter alia eorum onamenta insigniebant quoq; capita sua argenteis & ex auro fabricatis lunulis, quæ verè insignia fuerunt Regalia, talibus enim usi sunt Reges Medianitarum, quos Dux Israëlitarum Gideon in ultima sua expeditione fudit, prout Iud. 8 v. 26. videre est. Porro tradunt etiam temporum annales non pauca de horum Brachmanum studiis atque sapientia, in hominibus Ethnicis neutiq; exigua. Cum enim plurimum dediti fuerint speculationibus motus corporum cœlestium, tantam in hoc genere consequuti sunt notitiam, ut, præterquam quod syderum naturalem progressum exactissimè perspectum haberent, etiam noverint de futuris instantibus sæpissimè stupenda fere dexteritate differere. Et genti suæ non parum profuerunt sapientes hi Brachmanes, quippe cui leges pias admodum sanasque tulerunt, quæ in multis conveniunt cum ipsis populi DEI legibus. Traditur quoque præter hæc, hos Gymnosophistas  
mi-

miro adeo ingenio, fuisse erga semetiplos, ut vitam suam (quam supra omnia diligere solent alii) continuo fastidierint, quasi aliam præstantiorem post præsentem expectantes; atque quod multi eorum hac spe moti, nulla alia urgente necessitate, in omnium rerum affluentia sibi ipsis mortem acceleraverint: quæ actio tametsi nullatenus commendanda, cum contra legem divinam pugnet, tamen admiratione dignissima est in hominibus Ethnicis (utpote quos lumen solum naturæ non potuerat certiores reddere de statu quodam feliciore vitæ futuræ) præsertim habita ratione eorum intentionis. Hinc transegerunt vitam suam semper in summa devotione & pietate, adeo ut suæ Theologiæ ergo concessum fuerit illis solis apud Indos loca interiora templorum intrare, atque sacra suo more facere. Ex iis pro porro qui inter gentes sua eruditione clari evaserunt, & inde præcipuum honoris decus consequuti sunt, fuerunt etiam in Ægypto sacerdotes Hieroglyphico-

rum quibus tantus honor delatus est, ut eorum caussa non inferioris duntaxat fortis peregrini homines, sed & sapissime Reges magnique nominis exteri Principes Ægyptum frequentaverint, qui ab iis in familiaritatem adductis informarentur. Hi enim Sacerdotes doctrinam calluerunt eam, quæ characteribus Hieroglyphicis erat conscripta in statuis illis Mercurialibus ac Syringibus quæ ad Thebas Ægyptiacas visebantur; quam & sapientiam Penthateuco Mosis suam debere originem, multis & gravissimis argumentis probari posse quidam autumant. Imo hos sacerdotes neuiquam vulgari sapientia imbutos fuisse oportet, plerique enim Philosophorum confessi sunt se ab iis eruditionis suæ maximam partem hausisse, atque ex eorum præceptis sua dogmata derivasse. Sic & apud reliquas gentes reperti sunt semper tales, qui ingenia supra vulgus excolere amaverunt; quales, ut alios, quos recensere hic in-

stitu-

stituti vetat ratio, taceam, fuerunt quoque Hierophantæ Arabum sapientiæ laude clarissimi, quibus eo facilius ad culmen eruditionis eniti fuit, quod vicini fuerint populis DEI, Jisraelitis puta, & adeo ex iis potuerint anam se exercendi nanciſci.

## CAP. II.

### *De successu Theologiæ Gentilis.*

**I**ngeniorum hæc vis, quæ sic sæpe in sapientibus Ethnicis se exeruit, facile incredibilis videretur, nisi constaret eam non modo auctam verum & ipsam suam originem traxisse à divina ordinatione. Illa enim factum est ut quemadmodum salutarem DEI cognitionem ex eius revelationibus habuerunt illi quibus λόγια τῆ θεῆ concredita sunt; ita omnes quoque naturalem sibi concessam possederunt. Ægyptios certe, de vasta sua eruditione, docuit Doctor & Ductor Jisraelitarum Moses, & quidem adeo ut vir quidam eruditissimus ostendat ipsos  
Ægy-

Ægyptios ex ejus doctrina pleraque sua dogmata derivasse: eosque non solum ex hoc sapientiæ fonte gustasse, verum & omnes ferè gentes ex ejus Pentatheuco suas leges & sinceriores traditiones habere; quod & præsertim adstruitur ex mirificâ fere harmonia legum Jisraëliitarum gentiumque, quam idem prolixè satis demonstrat. Verum autè leges per Moïsem Jisraëhtis à DEO traditas aliis gentibus esse communicatas, nemini mirabile videri potest qui vel paullum versatus est in Historia sacra, quæ tum ipsorum Jisraëliitarum excursioniones crebras quomodo circumjacentes populos lacefferint tradit, tum quam sæpè in captivitatem abducti & translati fuerint ad varias longissimeque interdum distitas gentes, penes quas, cum necesse habuerint diutius remanere, exercuerunt religionis suæ cultum suo more quoad id fieri potuit per Victorum crudelitatem. Et hinc tam orta est gentilis Theologia, quam fictititii eorum Dii sunt inventi. Atque cum fide eorum religio de-

destitueretur, per imitationem quandam  
 vix umbram duntaxat, veri cultus Divi-  
 ni assequuti sunt, cum horrendum in  
 modum â vero deflexerint. Plures vero  
 Deos colere, siquidem ex Israelitis di-  
 dicisse non potuerant, haud abhorret  
 a vero id ipsum per rumorem de Men-  
 tibus Angelicis fluxisse. Quum enim  
 forte de iis gentes accepissent, quan-  
 tum auxilii præstarent hominibus &  
 tamen essent inferiores ipso DEO, sta-  
 tuerunt Angelos quoque esse Deos, sed  
 tamen eiusmodi qui infinito enti cede-  
 rent, adeoque assignarunt illi regimen  
 hujus universi; sed hos oraculis propriis  
 & Chrematismis præfecerunt. Circa  
 hæc oracula qui peregerunt sacra sacer-  
 dotes etiam in celebritate multæ scien-  
 tiæ versati sunt, ut inde non modo am-  
 plam gloriam, aliis Gentium sapienti-  
 bus communem, sibi acquisiverint una  
 cum magna veneratione; verum etiam  
 suis inventis tantam conciliaverint sibi  
 dignitatem, ut in universum crederent  
 omnes dicta ab illis non potuisse pro-

ferri per industriam humanam nisi o-  
 pem divinam adiungerent, ipsique Dii  
 per eos loquuti fuissent: quin imo, ipsi  
 quoque Christiani cogitarunt, forteque  
 adhuc multi sunt qui sibi persuasum ha-  
 bent ipsū cacodæmonē sēper adfuisse illis  
 Oraculis, & sacerdotibus respondenda  
 consultū venientibus inspirasse. Sed non  
 videtur satis vehemens causa cur ope dæ-  
 monis hoc semper & ubiq; factū dicimus,  
 cum nihil obsit, quo minus ipsa respon-  
 sa sacerdotum, his in oraculis potuerint  
 facile humanis viribus excogitari atq;  
 proferri. Hi consulti responderunt qui-  
 dem expeditè, quippe crebro idem a-  
 gentes assuefacti; sed tamen factum est  
 aut sub Amphiboliarum involucris, aut  
 obscure adeo ut sensus aptus non nisi di-  
 vinando erui potuerit, idque ideo ege-  
 runt ut quodcunque tandem eveniret,  
 five iuxta five contra mentem consu-  
 lentis, iactarent nihilominus veritatem  
 effatis quando esset in propria e-  
 ōrum potestate utroque modo semet ex-  
 plicare. Atque hinc non absurde colli-  
 gere-



gere licet, perinde Oracula, quam reli-  
quos Deos gentium merè fuisse fictitios, &  
solummodo in tanta multitudine adoratos  
propterea, ut ferox & rudis plebs su-  
perstitione capta, facilius regeretur, & a-  
lacrior fieret ad expeditiones & bella mo-  
venda, quo cæteroquin ægre suasioni-  
bus induci potuisset. Quicquid tandem  
sit, manet tamen, illorum sacerdotum  
astutiã atq; calliditatem fuisse summam,  
ipsoſq; felicissimis ingenii præditos, qui  
in toto terrarum orbe suos hosce ritus  
servare potuerant, ut per tantum tem-  
poris spatium durarent, tantique facti  
vigerent. Atq; cum hoc ita probabili-  
ter afferatur, dubium tamen non est, quin  
sub hisce larvis plerumq; illuserit mise-  
ris mortalibus Tenebrarum Princeps.

CAP: III.

*De Magis in specie unde primum sint; & de  
domicilio eorum qui ad Salvatorem  
accesserunt.*

**E**xpensis hisce generalioribus confide-  
remus in specie Magos, eorūq; origi-  
nem & studia. Fuerunt autem Magi qua-

professionem primum orti in Assyria (alias titulus & studia apud Persas sunt in usu) ubi diutius quam in aliis regionibus, memoria cultus DEI, traditi per Noachum post diluvium, remanere potuit ob propinquitatem situs ad Babylonē: & cujus incolæ semper adhæserunt cœlestium speculationi, etiam postquam sana religionis notitia inter eos quoque evanuit. Sed quoniam vera causa hujus occupationis ipsis exciderat, receperunt contemplationem astrorum, eaque & iis, quæ materiam in terris, similem ignem, summo semper studio coluerunt. Hi Magi apud Arabes & Persas sunt pro sapientissimis habiti, propterea quod unice studio investigandi siderum naturam ac motus caperentur; suntque ideo ad sacra igni peragenda adhibiti, quod elementum adeo erat illis sacrum, ut illud extinguere esset dirum nefas commisisse. Creditum etiam est eorum ingenia præ aliis tanto altioris indaginis fuisse, quanto sublimiores res, speculati sunt. Cæterum Magorum ordinis primus fuisse

isse creditur Zoroastres quidam peritissimus syderum, adeo ut inde nomen fortitus sit, dictus quasi  $\zeta\omega\delta\nu\ \alpha\sigma\tau\rho\nu$ ; sed nomen proprium fuit Mog, atque ex eo sunt omnes ejus asseclæ dicti Magi, cujus nominis Etymologiam varii varie exponunt. Alii volunt quod sint Magi quasi  $\mu\alpha\gamma\epsilon\iota\sigma\iota$  sapientes. Alii hanc vocem derivant ab Hæbræa Radice  $\text{מגה}$  meditatus est, unde participium Benoni in Hiphil est  $\text{מגהמ}$  eiusq; plurale masc.  $\text{מגהמ}$  quod Meditantes exponitur. Quidam vero significatione Perfica explicant Magum, quod fit Presbyter sapiens atque peritus. Sed Demonstrationis Evangelicæ eruditi operis autor contendit hunc Mog fuisse ipsum Mosen nam Arabicis literis dum scribitur, est ibi Arabum G molle quod eundem habet sonum atque Gallorum G. ante E. & I ut in vocibus Gage & Gique, sic autem pronunciata litera coincidit cum sono  $\text{מג}$  Hebræorum quod in nomine  $\text{משה}$  reperitur. Deinde quoque ostendit idem ut perquam

facile fuerit translata hujus literæ & pronuntiatio in eam quam habet græcum  $\gamma$ . Cum enim Græci hanc vocē suis literis pingerēt scripserunt  $\text{Μάχ}\text{Ϟ}$ , sed inde per incuriam describentium mutata est in  $\text{Μάχ}\text{Ϟ}$ ,  $\text{Τ}\text{Ϟ}$   $\chi$  vero in  $\gamma$  transmutatio non est mirabilis cum sono adeo non discrepent. Circa hæc autem liceat cuivis proprio abundare sensu. Verum porro cum notissimum sit huius Magorum ordinis fuisse eos qui tempore nativitatis salvatoris nostri JESU, ex Oriente, ut ait Math. Evangelii sui cap. 2. Hierusalem venerunt ipsum salvatorem infantem quærentes, & qui ei tandem Bethlehemi invento, Aurum, Thus, & Myrrham obtulerunt summo cum venerationis cultu; patet inde evidentissime eos non fuisse perfunctorie, quod ajunt, versatos in studio Astronomico utpote qui, teste eodem Evangelista, quiverunt per unius insuetæ stellæ aspectum tam certam notitiam de nato salvatore capere, ut & regionem  
ubi

ubi degeret ex eo invenirent, & ipsius conditionem, quod scilicet rex natus esset, cognoscerent. De cætero solent etiam sapientes quæstionem aliquam movere de horum Magorum, qui Christum adiverunt, patriam, unde venisse eos dicendum sit. Et plurimi quidem sibi persuasum habent quod hi e Persia exiverint, hac præsertim ducti ratione, quum Evangelista dicat: ecce, Magi accesserunt ex oriente, quod assertum non posse ut verum vindicari existimant, si eorum sententia qui, nixi dicto Prophetico: omnes isti de zaba venient, Aurum & Thus deferent, & nomen Domini annunciabunt, Esa. 60. 6. eos fuisse Arabes contendunt, sit amplectenda; præsertim quia Regina Arabiæ felicis, dicitur à meridie venisse, ut audiret sapientiam Regis Jisraelis Salomonis, Math: 12. 42. Quod ergo ad præsens negotium; pro illis eorumque sententia, qui existimant Arabes fuisse sequentia moveri possunt. Nullum videtur hoc in-

involvere contradictionem si ex oriente accessisse dicantur utut ex Arabia profecti sint, quæ licet ad meridiem Hierosolymorum vergat aliquam partem, non licet tamen inde in Palæstinam recta versus septentriones proficisci, ob inviam interjacentem Arabiam desertam atque petream; sed necessum habent ob hoc obstaculum viatores inter finum Persicum atque vastas illas solitudines iter instituere, donec prope Chaldæam inter Petream atque Desertam Arabiam, in occidentem via aperiatur Hierosolymam recta vergens, prout ex recentioribus tabulis Geographicis clare demonstratur. Deinde nec lubet mordicus defendere hos Magos venisse ex ea urbe felicitis Arabiæ, quæ in sacris literis **צִיבִית** hodie Zibit dicitur, quin potius est verisimile quod egressi sint illa urbe quæ in tabulis dicitur Mirabat, & ad eam plagam Palæstinæ spectat; quæ medium inter Meridiem & Orientem tenet, quæque oriens brumalis appellari suevit; sic enim meliori jure dicuntur

euntur ex oriente venisse: & ipsum  
 civitatis nomen videtur ejus opulenti-  
 am arguere, cujusmodi horum Mago-  
 rum domicilium fuisse oportet, qui tan-  
 to emenso itinere, pretiosis tamen adeo  
 donis salvatorem donare valuerunt, Ra-  
 dix namque Hebræa רבך, unde hæc  
 videtur derivata vox, explicatur quod  
 sit: Multiplicatus fuit, Auctus est, Ma-  
 gnus fuit, &c. Præterea etiam argu-  
 itur eos domum habuisse in Arabia  
 felici, quandoquidem asseritur in E-  
 vangelio, quod inter reliqua sua dona  
 Thus quoque oblatum fuerit ab ipsis  
 Salvatori Jesu; Thus vero optimi et-  
 iam Geographi sciunt, nusquam nisi  
 in hac ipsa Arabia reperiri. Nec tan-  
 dem obesse huic assertioni videtur quod  
 Regina, quæ i. Reg. 10, dicitur Regi-  
 na Zabæ, dicatur in Evangelio Regi-  
 na Austri; cum ea habitans in civi-  
 tate illa maritima Zibit, forte iter  
 mari confecerit per Sinum Arabicum  
 seu Mare Rubrum, adeoque vere à  
 meri-

meridie Hierosolymam venerit. His autem singulis quid roboris inesse possit, & utrum ictus sustineant quibus feriunt, qui pro communi sententia pugnant, in conflictu publico forte manifestam erit. Sed ulterius progredi non est animus, cum ex dictis satis constet plurimas gentes habuisse quosdam egregie ingenuos, qui semper summa cura Ovidii AUREUM RAMUM affectarunt, quorum exempla si quis æmulari velit eventu haud frustrabitur.

**A**UREUS haud omni decerpitur arbore RAMUS  
*Nec manus est omni capiendo docta peræq̃;  
 Ipse volens, si fata volent, faciliusq̃ sequetur  
 Invitus, nulla convellitur ille securi.*  
*Dardanio quondam Duçtore virga dabatur  
 Fatalis, folioq̃ aurato & virvine ramus:  
 Ipse secundus eris muneris decerptor amani  
 Nec Fors ingenium felix nec cura sefellit.  
 Gratulor ingenium, conatus fata secudenti*

Qui te ob vitæ moderationem  
 eruditionisque elegantiam  
 ex animo diligit.


J. O. BERG.



*Pereximio atq; Præstantissimo Dn:*

CONRADO  
QUENSELL,

Eleganter enucleateqve de Studio  
Sapientiæ in Gentibus differenti;  
& egregium prorsus eximiæ indolis  
solidæqve doctrinæ specimen  
præbenti.

 *Erculeas juvenes ærumnas atq; la-  
bores  
Perspiciunt, animo patienti susci-  
piendos*

*Hic esse omnibus, egregias qui Palladis artes  
Affectant: Ideo Musis se tradere nolunt.*

*Hæc tamen ingenio Præstans, & Sanguine*  
QUENSELL

*Optime, nam novi, minimè te spectere possunt  
A studiis, quibus en summos intendere nervos  
Ex ipso fueras assuetus limine vita:*

*Excelsum quia pierium vis scandere culmen:  
Aonii summi sanctissima Numina montis  
Concessere tibi facilè banc contingere nisi*  
Opta-

Optatam metam studiorum pectore toto.  
En vigilantia Conrado magnique labores  
Nomen jam clarum reddunt inter sapientes.  
Egregium Ramum profert Auri studiorum.  
Ille Parentibus eximiis affert reliquisque  
Summam letitiam Cognatis nunc & Amicis.  
Ipse cito referes sperata encomia laudis.  
Summus Olympi Regnator tribuet tibi dulcem  
Fructum felici cum successu studiorum.  
Florescas opto tibi toto pectore semper.

Affectu sincero & prolixo  
gratulabatur.

CLAUDIUS AUSTRIIN  
O. Gohtus

